

V 9
4187



Handwritten text, possibly a page number or title, partially visible on the adjacent page.



Q. 189. 21

Vg
4187

PHILIPPI MELANCHTHONIS
DE
VITA ET ACTIS
REVERENDISSIMI
VIRI
D. MARTINI LVTHERI,
COMMENTATIO,

Adjectum est

EPIGRAMMA
DE
FONTELVTHERI,
ab ipso confectum,
Ob raritatem denuo recusum.

VITEMBERGÆ,
Typis & Sumtibus CHRISTIANI FINCELII.
A. C. MDCCC.



ADM. BIBL. UNIV.
MAG. SACHS. ANH.



PRÆFATIO

REVERENDISS. ATQVE ILLV-
STRISSIMO PRINCIPI, ac DN., DN. GEORGIO,

Principi ad Anhalt. Ascaniæ Comiti, Dominoqve Berne-
burgensi, in causis vero Spiritualibus Administra-
tori Marsburgensi, & Ecclesiæ Magde-
burgensis Præposito.

*Gratiam & pacem in Christo, DEO, &
salvatore nostro.*

Magnus erat luctus, ingentes querele,
multa lacryme in universa Roma, cum Cicero,
pater patriæ, pulsus, cogeretur exulare. Occupa-
vit tamen iste luctus non quosvis, non seditiosos
Catilinas, non furibundos Antronios, hisq; similes sceleratos &
ulcera urbis, sed pacificos & moderatos, & qui amabant æquita-
tem, & quibus grata erat Reipub. tranquillitas. Ita non dubito, e-
tiam adhuc hodie Lutheri mortem tristem & accerbam esse, sem-
perq; futuram, et si non omnibus, tamen viris bonis, imprimis au-
tem illis, quibus Religio cara est, & qui afficiuntur periculis Ec-
clesiæ Christi, quæ sub hoc Doctore satis florens, tuta, ac munita fuit.
Nunc vero quoniam sublatus est, quid interea evenerit, magno
cum luctu, multisq; lacrimis hucusq; vidimus, ac quotidie videm⁹,
necdum scimus, quid adhuc sit sperandum de furoribus quorundam,
quos Lutherus vi sua atq; auctoritate compressit. Ego certe aliquid
magni metuo, nam, cum colligo eventus priorum temporum, compe-
rio, occasum tantorum virorum raro non exitialem fuisse. Sed nobis
consolatio certa ac firma proposita est, videlicet Oratio & promissio-
nes Dei. Precabimur itaq; Deum parentem nostrum, ut adhuc ex-
trudat alios operarios in messem suam, qui pergant illustrare glo-
riam gratia suæ, & regni Jesu, Christi, ad promovendam ac perfi-
ciendam salutem electorum suorum. Et rogabimus Patrem, in
nomine unigeniti Filii sui Jesu Christi Domini nostri, ut Ecclesiam
suam,

IOAN. POLLICARII.

suam, & hoc hospitium fidelium suorum, quod apud nos verbo suo, per Lutherum edificavit, regat, gubernet & conservet, ad gloriam nominis sui, Amen. Ipse recepit se futurum nobiscum, usque ad consummationem seculi, & dixit, non relinquam vos orphanos. Hæc cum vera sunt, & maxime consolatoria piis mentibus, Interim tamen dolendum est, quoties videmus Ecclesiam eiusmodi Doctores orbati, quando experimur hæc organa & vasa gratiæ occumbere, hominesque tantis donis præditos, e conspectu atque consuetudine nostra eripi, num enim mortui laudabunt Dominum?

Ego igitur, ut me quoque ob hæc incommoda angi ostenderem, aliquid Carminis congesi, in laudem huius maximi nostri Theologi. Adieci quoque Vitam eius, sicuti eam reperi, perscriptam à D. Philippo nostro, una cum Actis Wormatiensibus, non sine certo ac gravi consilio, quæ omnia, ut spero, Ecclesiæ non erunt ingrata. Ea nunc tibi ampliss. & illustriss. Princeps ascribo atque dedico, & obsecro C. T. ut æqui bonique faciat. Ut autem hoc libello C. T. compellerem, commovit me, primum, similitudo officiorum, quæ tu & Lutherus habuistis æqualia. nam sustinet C. T. quoque, quemadmodum paulo ante Lutherus, gubernationem Ecclesiæ, quæ functio profecto est valde difficilis, & plena laboris, ac periculosissima, his nostris confusis ac turbulentis temporibus, præsertim ubi improborum & audacium hominum est infinita licentia. Deinde commovit me & hoc, quod sciebam C. T. à Luthero unice semper & amatam & veneratam fuisse, ideo visus sum ego mihi bene pieque, & rem C. T. gratam facere, si amicis simi apud amicis simum nunc quoque à morte mentionem facerem. Rogo itaque Illustriss. Princeps, C. T. ut hoc scriptum magnum facere velit, propter pia facta Lutheri, cuius negotium hic agitur, in cuius gratiam scio C. T. hoc mihi denegare non posse. Bene vale Illustriss. Princeps, & Deus opt. max. C. T. nobis in hoc ministerio diu servet incolumem. Datum Weisenfelsii, 20. Octobris, Anno 1547.

Tuæ ampli. deditiss.

M. Ioannes Pollicarius Cygneus,
apud Weisenfelsenses Verbi Dei Minister.

DE EXECRANDA ET ABO-

MINABILI CAECITATE PAPISTICA, Ex QVA NOS
eripuit Deus per Lutherum, Carmen Sapphicum.

Christus humani generis misertus,
Perditum tandem reparavit orbem,
Et sua, nostras veniens, fugavit,
Luce tenebras.

Non videt nemo, quibus in salebris
Usque versati fumus & vagati,
Tam diu fungi fuimus, nihilque
Egimus omnes.

Antehac cæci, ducibusque cæcis
Viximus, duri tamen & superbi,
Numinis læsi magis ut magisque
Cresceret ira.

Niltenebamus, nisi Syllogismos,
Arte contortos, variosque nodos,
Frigidas nugas, mera verba, fumos,
Stercora floccos.

Vulgus indoctum, stolidi Sophistæ,
Barbari, crassi, scioli, loqvaces,
Milites orci, pelagusque plane
Flagitiorum.

Tanta nullius memoratur ævi
Servitus, quanta fumus usque preffi,
Hoc mali invexit lupa purpurata,
Lerna malorum.

Totius Reges proceresque Mundi
Subditos fecit sibi, poculoque
Stravit erroris, triplici refulgens
Hydra tiara.

Inde, doctrinis hominum subortis,
Langvit verus periitque cultus,
Litteræ sacræ, quasi consepultæ,

)

Obtis

Obtulerunt.

Impii passim populum necabant
Vinculis legum, decimis, tributis,
Gens rapax, vecors, & amica ventris,
Perdita luxu.

Veritas ferro rapidisque flammis
Comprimebatur, fideique sermo:
Inter & sese graviter gerebant
Bella Monarchæ.

Saxeis stabant Simulachra templis,
Sacra Diis falsis & item Deabus,
Vnde diversis variisque Sectis
Cuncta fremebant.

In stans poni pietas diebus,
In cibis certis, preculisque coepta est,
Nuptiis mire vetitis libido
Foeda revixit.

Ista iam vero occidere monstra,
Et modis virtus redit illa miris,
Illa qua Christum Dominum Deumque
Credimus unum.

Artium passim studiis bonarum,
Iam Senes iuxta Iuvenesque flagrant,
Atque lingvarum: venit hoc ab alto
Lumen Olympo.

Sæculum nunquam celebretur ullum;
Faustius tali meliusque nostro,
Sermo pennatæ facer ille currit
More sagittæ.

Sunt adhuc multi tamen inquinati,
Ebrii mundo, vigilesque larvæ,
Qui suis lucris metuunt, necantque;
Vera locutos.

Hoc nihil mirum, fore nempe, Christus
Sæpe prædixit, Deus ipse Vatum,

Hæ.

Hæreses, lites, odiumq; veri,
Et Crucis hostes,
Laus Deo Patri, Dominoq; Christo,
Spiritu cujus bona cuncta fiunt,
Adsit is nobis, fideique robur
Augeat & spem.

GRATIARVM ACTIO, QVOD
EXTINCTAM IAMPRIEM IN ORBE TERRATVM
veritatis lucem, Deus hoc seculo in Germania rursus
per Marttin. Lutherum excitavit. Georgii Fabricii.

Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores, Christe, tuorum,
Quia noctis tenebras sole corusco depulisti,
Fera Germania duris prius armis,
Alii à populis nescia vinci,
Sua iam collo iuga præbuit, atq; obtulit ultro,
Tua cum lux venerandi sacra verbi,
Miscuisset, tenuem visa per umbram,
Ab iniquis, diuturnis male suppressa tenebris.
Quis ad unum bona referebat Christum?
Quis ab uno rogitabat bona Christo?
Sibi fingens proprium quisque Deum in vota vocabat.
Sacra venalia, cælum ære patebat:
Meretricisque cubili Papa surgens,
Sacrosanctas, veluti sus lutulenta, ibat ad aras.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores, Christe, tuorum,
Quia cæcis radians reddere lumen voluisti.
Hominum frivola doctrina vigebat,
Gravida fœmina ventrem positura,
Reperit, cui faceret vota, Dianam, rapit alter,
Modo sanctus tibi Neptune tridentem,
Neque Castor, neq; Pollux mare fistit
Agitatum gravis utq; ære domum dextra feratur,

Sua

Sua mercator habet numina, scævus
Quibus hastam & sua miles daret arma,
Neque tellus numerum illum, neq; cœlum capiebat,
Sator autem maris, astrorum & abyssi,
Quasi non ferre potens auxilii vim
Erat ignotus, & eius data laus est alienis,
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores, Christe, tuorum,
Quia totum tua sparsit radios gratia in orbem
Subito cum tua vox æthere ab alto,
Lævis Eure penetrans, horridi & alas
Aquilonis, glaciale fuit audita prope Arcton.
Rapido flumine currens, rigat arua,
Rigat agros, superis gratus & omne,
Memorande Pater Albis, cythara & voce, per ævum.
Nova Belgam vocat ad gaudia Rhenum,
Vocat Istrum, sociisque actus ad ipsum
Fluviis Occanum tendit, in altumq; receptus
Solum regis, honesti specie oris,
Meruit populei frondis honorem,
Fluviorumqve pater rexqve vocari omnibus amans.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores, Christe, tuorum.
Quia multorum animis est fidei lux patefacta,
Tener infans habilis dum ubera matris
Trahit, aures sibi sanctis resonare
Modulis sentit, & audit puer, innuptaqve virgo.
Sacra passim recini carmina vatium.
Fora, vici, plateæ, templa, thetra,
Variarum feriunt fideia dulcedine vocum.
Pede pressans tumidas rusticus uvas,
Et opimam subigens vomere terram,
Apud armenta, lato virgine, pastor canit hymnos.
Inopem sera operans nocte Minervam
Mulier, psalmifona voce, laborem
Minuendo, fruitur cœlo, animo elata beato.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores, Christe, tuorum,
Quia portæ paradisi miseris rursus apertæ.



HISTORIA DE VITA ET

ACTIS REVERENDISS. VIRI, D. MARTINI

LUTHERI, veræ Theologiæ Doctoris,
bona fide conscripta,

a

PHILIPPO MELANCHTHONE.



Spem nobis fecerat reveren-
dus vir, Martinus Lutherus, &
curriculum se vitæ suæ, & certarum
minum occasiones narraturum,
esse, quod fecisset, nisi ex hac
mortali vita, ad æternam DEI &
Ecclesiæ cœlestis consuetudinam
evocatus esset. Utilis autem esset
& privatæ ipsius vitæ consideratio
luculenter scripta, plena enim fuit exemplorum, quæ ad
confirmandam pietatem in bonis mentibus profutura es-
sent, & occasionum recitatio, quæ posteritatem de multis
rebus commonefacere posset: Deinde & calumnias refu-
taret eorum, qui vel incitatum a principibus viris aut aliis,
ut labefactaret Episcoporum dignitatem, vel privata ipsum
cupiditate inflammatum, servitutis Monasticæ vincula rui-
pisse fingunt.

A

Hæc

Hæc prodesset, ab ipso integre & copiose exposita & commemorata esse. Etsi enim Malevoli vulgatæ illud obiecturi erant, αὐτὸς αὐτὸν εὐλῆι, tamen & in ipso tantum gravitatis fuisse scimus, ut optima fide Historiam recitaturus fuerit. Et multi boni & sapientes viri adhuc viuunt, quib., cum sciret, seriem harum rerum notam esse, fuisset ridiculum, aliam historiam, ut fit interdum in poematis, comminisci. Sed quia editionem talis historiæ fatalis ipsius dies avertit, nos iisdem de rebus ea, quæ partim ex ipso audivimus, partim ipsi vidimus, bona fide recitaturi sumus.

Vetus familia est, & late propagata mediocrium hominum, cognomine Luther, in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium. Parentes vero Martini Lutheri primum in oppido Issleben, ubi Martinus Lutherus natus est, domicilium habuerunt, Deinde migrarunt in oppidum Mansfeldt, ubi pater Johannes Lutherus & Magistratus gesit, & propter integritatem omnibus bonis viris carissimus fuit.

In matre Margarita, conjugæ Johannis Lutheri, cum ceteræ erant virtutes, honestæ Matronæ convenientes, tum vero præcipue lucebant pudicitia, timor DEi, & invocatio, intuebanturq; in eam ceteræ honestæ mulieres, ut in exemplar virtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de tempore, quo Filius natus est, respondit, diem & horam se certo meminisse, sed de anno dubitare. Affirmabat autem natum esse die decimo Novembris, nocte post horam undecimam, ac nomen Martini attributum infanti, quod dies proximus, quo infans per Baptismum Ecclesiæ Dei insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed frater ejus, Jacobus, vir honestus & integer, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse Anno a natali Christi 1483.

Post-

Postquam ætas doctrinæ capax fuit, parentes filium Martinum, ad agnitionem & timorem Dei, & ad aliarum virtutum officia domestica institutione diligenter adsuefecerunt, & ut est consuetudo honestorum hominum, curaverunt ut literas disceret, gestavitque in ludum literarium adhuc parvulum Georgii Aemilii pater, qui cum adhuc vivat, testis hujus narrationis esse potest.

Florebant autem eo tempore Scholæ Grammaticæ in Saxonibus urbibus mediocriter, quare cum Martinus ingressus esset annum quartum decimum, una cum Johanne Reineck, cujus postea virtus fuit excellens, & virtute parta auctoritas in his Regionibus magna, Magdeburgam missus est, fuitque mutua benevolentia inter hos duos Lutherum & Reineckum semper eximia, seu ab aliquo naturæ consensu, seu ab illa puerilium studiorum societate orta. Nec tamen diutius, anno, mansit Lutherus Magdeburgæ.

Deinde in schola Isennacensi quadriennio audivit Præceptorem rectius & dexterius tradentem Grammaticen, quam alibi tradebatur; Nam hujus ingenium memini a Luthero laudari. In eam autem urbem missus est, quod mater in iis locis honesta & veteri familia nata fuerat: Hic absoluit grammaticum studium, cumque & vis ingenii acerrima esset, & imprimis ad eloquentiam idonea, celeriter æqualibus suis præcurrit, & verbis & copia sermonis in loquendo, & in scribenda soluta oratione, & in versibus cæteros adolescentes, qui una discebant, facile vicit.

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, appetit Academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tanta vis ingenii potuisset, si Doctores idoneos invenisset, & fortassis ad leniendam vehementiam naturæ mitiora studia.

Philosophiæ, & cura formandæ orationis profuissent. Sed incidit Erfordiæ in ejus ætatis Dialecticæ satis spinosam, quæ, cum sagacitate ingenii præceptionum causas & fontes melius, quam ceteri perspiceret, cito arripuit.

Cumque mens avida doctrinæ, plura & meliora requireret, legit ipse pleraque veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilii, Livii & aliorum. Hæc legebat, non ut pueri, verba tantum exerpentes, sed ut humanæ vitæ doctrinam, aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum & sententias propius aspiciebat, & ut erat memoria fideli & firma, pleraque ei lecta & audita, in conspectu & ob oculos erant. Sic igitur in juventute eminebat, ut toti Academiæ Lutheri ingenium admirationi esset.

Ornatus igitur gradu Magisterii Philosophici, cum natus esset annum vicesimum, de consilio propinquorum, qui hanc tantam vim ingenii & facultatem judicabant in lucem & ad Rempub. educendam esse, inchoat juris studium. Sed brevi post, cum natus esset annum unum & vicesimum, subito, præter parentum & propinquorum opinionem, venit ad Collegium Monachorum Augustinianorum Erfordiæ, seq; recipi petit. Receptus, jam non solum acerrimo studio doctrinam Ecclesiæ discit, sed etiam summa disciplinæ severitate se ipse regit, & omnibus exercitiis lectionum, disputationum, jejuniorum, precum, omnes longe superat. Erat autem natura, quod sæpe miratus sum, in corpore nec parvo nec imbecilli, valde modici cibi & potus, vidi continuis quatuor diebus, cum quidem recte valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem, vidi sæpe alias multis diebus quotidie exiguo pane & halece contentum esse.

Occasio autem ingrediendi illud vitæ genus, quod pietati

pietati & studiis doctrinae de Deo existimavit esse convenientius, haec fuit, ut ipse narrabat, & ut multi norunt. Saepe cum cogitantem attentius de ira Dei, aut de mirandis poenarum exemplis, subito tanti terrores concutiebant, ut pene exanimaretur. Ac vidi ipse, cum in quadam doctrinae disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocavit, ubi hanc sententiam crebro repetitam miscuit invocationi: Concluserit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Hos terrores seu primum, seu acerrimos sensit eo anno, cum sodalem, nescio quo casu, interfectum, amisisset.

Non igitur paupertas, sed studium pietatis eum in illud vitae monasticae genus induxit, in quo etsi doctrinam in scholis usitatum quotidie discebat, & Sententiarum legebat, & in Disputationibus publicis labyrinthos, aliis inextricabiles, diserte, multis admirantibus, explicabat, tamen quia in eo vitae genere non famam ingenii, sed alimenta pietatis quaerebat, haec studia tanquam *πάρρησια* tractabat, & facile arripiebat illas scholasticas methodos. Interea fontes doctrinae coelestis avidè legebat ipse, scilicet scripta Prophetica & Apostolica, ut mentem suam de Dei voluntate erudiret, & firmis testimoniis aleret timorem & fidem. Hoc studium, ut magis expeteret, illis suis doloribus & pavoribus movebatur.

Et senis cujusdam sermonibus in Augustiniano Collegio Erphordiae saepe se confirmatum esse narrabat, cui cum consternationes suas exponeret, audivit eum de fide multa differentem, seque deductum aiebat ad Symbolum, in quo dicitur, Credo remissionem peccatorum. Hunc Articulum sic ille interpretatus erat, non solum in genere credendam esse, aliquibus remitti, ut & Dæmones credunt, Davidi aut

Petro remitti, sed mandatum Dei esse, ut singuli homines, remitti nobis peccata, credamus. Et hanc interpretationem confirmatam dicebat Bernardi dicto, monstra tumq; locum in concione de Annunciatione, ubi hæc sunt verba, Sed adde ut credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur, Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratis justificari hominem per fidem.

Hac se voce non solum confirmatum esse, Lutherus dicebat, sed commonefactum etiam de tota Pauli sententia, qui toties inculcat hoc dictum, Fide iusti ficamur. De quo, cum multorum expositiones legisset, tunc & ex hujus sermonibus, & suæ mentis consolatione animadvertisse, interpretationum, quæ tunc in manib. erant, vanitatem. Paulatim legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & in quotidiana invocatione excitanti indem, pl9 lucis accessit.

Tunc & Augustini libros legere cœpit, ubi & in Psalmorum enarratione, & in libro de Spiritu & litera, multas perspicuas sententias reperit, quæ confirmabant hanc de fide doctrinam, & consolationem, quæ in ipsius pectore accensa erat. Nec tamen prorsus reliquit Sententiariorum. Gabrielem & Cammeracensem ad verbum memoriter recitare poterat. Diu multumqve legit scripta Occam, hujus acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat, Sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat, & optime meminerat.

Hoc acerrimum studium inchoavit Erphordix, in cuius urbis Collegio Augustiniano commoratus est annos quatuor.

Eo

Eo autem tempore, quia Reverendus vir Staupicius, qui exordia Academiae Vittebergensis adjuverat, studium Theologicum in recenti Academia excitare cupiebat, cum ingenium & eruditionem Lutheri considerasset, traducit eum Vittebergam, Anno 1508. cum jam ageret annum viceesimum sextum. Hic inter quotidiana exercitia Scholæ & concionum, magis etiam lucere ejus ingenium cœpit. Cumque eum attente audirent viri sapientes, Doctor Martinus Mellerstadius & alii, sæpe dixit Mellerstadius, tantam esse vim ingenii in hoc viro, ut plane præfagiret mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, quod tunc in Scholis unicum tradebatur.

Hic primum Dialecticam & Physicam Aristotelis enarravit, Interea tamen suum illud studium legendi scripta Theologica non omittens. Post triennium Romam profectus, propter Monachorum controversias, cum eodem anno reversus esset, usitato more scholarum, Duce Saxonie Electore Friderico præbente sumptus, ornatus est gradu Doctorum, ut usitate loquimur. Audierat enim concionantem, & vim ingenii, & nervos orationis, ac rerum bonitatem, expositarum in concionibus, admiratus fuerat. Et, ut quadam quavis maturitate judicii videas gradum ei Doctorum attributum esse, scias fuisse eum annum ætatis Lutheri tricesimum. Ipse narrabat sibi admodum defugienti & recusanti mandatum esse a Staupicio, ut hoc gradu ornari se sineret, eumque per iocum dixisse, multum negociorum Deo jam in Ecclesia fore, ad quæ ipsius usus esset opera. Cui voci, & si ioco tunc emissa est, tamen eventus respondit, ut multa præcedunt mutationes præfagia.

Postea enarrare Epistolam ad Romanos cœpit, deinde
Psalms,

8
 Psalmos, hæc scripta sic illustravit, ut post longam & obscu-
 ram noctem, nova doctrinæ lux oriri videretur, omnium pi-
 orum & prudentum iudicio. Hic monstravit Legis & Evan-
 gelii discrimen, hic refutavit errorem, qui tunc in scholis &
 concionib. regnabat, qui docet, mereri homines remissio-
 nem peccatorum propriis operibus, & homines coram Deo
 justos esse disciplina, ut Pharisæi docuerunt. Revocavit igitur
 Lutherus hominum mentes ad filium DEI, & ut Baptista,
 monstravit agnum Dei, qui tulit peccata nostra, ostendit gra-
 tis propter Filium Dei remitti peccata, & quidem oportere,
 id beneficium fide accipi. Illustravit & ceteras partes doctri-
 næ Ecclesiasticæ.

Hæc ei exordia rerum optimarum magnam autorita-
 tem circumdederunt, præsertim cum mores congruerent
 cum oratione docentis, videreturque oratio non in labris
 nasci, sed in pectore. Hæc vitæ admiratio magnas efficit in-
 clinationes in animis auditorum, ut Veteres etiam dixerunt,
 σχεδόν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτων ἔχειπαισιν τὸ ἦθος. Quare cum postea
 quosdam receptos ritus mutaret, honesti viri, qui eum no-
 rant, minus vehementer adversati sunt, eiqve propter auto-
 ritatem, quam & rerum bonarum illustratione, & sanctitate
 morum antea pepererat, in iis sententiis assenserunt, quibus
 magno cum dolore videbant orbem terrarum distrahi.

Nec Lutherus tunc in ritibus quidque mutabat, imo
 tetricus disciplinæ custos inter suos erat, nec miscuerat ali-
 quid opinionum horridiorum. Sed illam communem, &
 prorsus necessariam doctrinam omnibus magis magisque il-
 lustrabat, de pœnitentia, de remissione peccatorum, de fide,
 de veris consolationib. in cruce. Hujus doctrinæ dulcedine
 pii omnes valde capiebantur, et eruditus gratum erat, quasi

ex

ex tenebris, carcere, squalore educi Christum, Prophetas, Apostolos, conspici discrimen Legis, & Evangelii, promissionum Legis, & promissionis Evangelicæ, Philosophiæ & Evangelii, quod certe non extabat in Thoma, Scoto & similibus, justitiæ spiritualis & rerum politicarum,

Accedebat huc, quod Erasmi scriptis jam invitata erant inventutis studia ad Latinæ & Græcæ lingvæ cognitionem, quare, monstrato jam dulciore doctrinæ genere, multi bonis & liberis ingeniis præditi, abhorrere a barbarica & Sophistica doctrina Monachorum incipiebant.

Ipsè etiam Lutherus Græcæ & Hebraicæ lingvæ studiis se dedere cœpit, ut cognita sermonis proprietate & phrasi, & hausta ex fontibus doctrina, dexterius judicare posset.

In hoc cursu cum esset Lutherus, circumferuntur venales Indulgentiæ in his regionibus a Tecelio, Dominicano, impudentissimo Sycophanta, cujus impiis & nefariis concionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, edidit Propositiones de Indulgentiis, quæ in primo Tomo monumentorum ejus extant, & has publice Templo, quod Arci Vitebergensi contiguum est, affixit, pridie festi omnium Sanctorum, Anno 1517. Hic Tecelius, nihil sui dissimilis, ac sperans etiam gratiam se apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum convocat, Monachos aliquot & Theologos sophistica sua, utcunqve leviter tinctos, hos componere aliquid jubet adversus Lutherum. Ipse interea, ne esset *καφὸν πρόσωπον*, non jam Conciones, sed fulmina in Lutherum torquet, vociferatur ubiqve hunc Hæreticum igni perdendum esse, Propositiones etiam Lutheri & Concionem de Indulgentiis publice conjicit in flammam. Hi furorè Tecelii & ejus Sa-

B

tellitum

tellitum imponunt necessitatem Luthero de rebus iisdem copiosus differendi, & tuendæ veritatis.

Hæc initia fuerunt hujus controversiæ, in qua Lutherus nihil adhuc suspicans aut somnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipsas Indulgentias prorsus abjiciebat, sed tantum moderationem flagitabat. Quare falso eum calumniantur, qui a plausibili causa exorsum dicunt, ut postea mutaret Rempub. & vel sibi vel aliis potentiam quæreret. Ac tantum ab est, ut ab aulicis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit Dux Brunsvicensis, ut doluerit etiam Dux Fridericus, moveri certamina, longe prospiciens, quanquam exordium esset de re plausibili, tamen paulatim latius vagaturam esse hanc flammam, ut de Lite apud Homerum dicitur, Parva metu primo, mox sese attollit in auras.

Cum unus omnium nostræ ætatis Principum Fridericus & tranquillitatis publicæ amantiss. fuerit, & minime *πλεονεκτικός*, maximeque solitus sit, referre consilia ad communem salutem orbis terrarum, ut ex multis rebus intelligi potest, nec incitator Luthero, nec adplausor fuit, suumque dolorem sæpe significavit, quem a siude circumtulit, metuens discordias majores.

Sed vir sapiens, & non tantum protana judicia, sequens, quæ tenera mitia omnium mutationum celerrime opprimi jubent, sed etiam normam divinam in consilium adhibens, quæ jubet audiri Evangelium, & vetat agnitæ veritati adversari, ac blasphemiam vocat horribiliter damnata a DEO, pertinaciam veritati adversantem, fecit, quod multi alii pii & sapientes fecerunt, DEO cesit, studiose legit ea quæ scribantur, & ea quæ judicavit vera esse, delere non voluit.

Scio etiam sæpe eum sciscitatum de rebus ipsis eruditorum

torum & sapientum sententias, & in eo Conventu, quem in urbe Agrippina Colonia egit Imp. Carolus V. post coronationem, Erasmus Roterodamum, amanter orasse, ut libere diceret, num errare Lutherum in iis controversiis judicaret, de quibus præcipue differuisset. Ibi Erasmus plane dixit, recte sentire Lutherum, sed lenitatem se in eo desiderare. Qua de re gravissime postea Dux Fridericus ad Lutherum scribens, valde eum hortatus est, ut styli asperitatem moderaretur.

Constat etiam Lutherum Cardinali Caietano promissurum fuisse silentium, si adversariis etiam silentium indiceretur. Qua ex re perspicue intelligi potest, tunc quidem nondum eum docuisse, alia se deinceps moturum esse certamina, sed tranquillitatis cupidum fuisse, sed paulatim ad alias materias pertractum esse, undiqve lacescentibus eum indocentis Scriptoribus.

Secutæ sunt igitur Disputationes, De discrimine Legum divinarum & humanarum, de tetra protanatione Cœnæ Domini, in venditione & applicatione ejus pro aliis. Hic explicanda tota Sacrificii ratio fuit, & ostendendus usus Sacramentorum. Cumque jam audirent homines pii in Monasteriis, fugienda esse Idola, discedere ex impia servitute cœperunt.

Addidit igitur Lutherus ad explicationem doctrinæ de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, de Indulgentiis, Deinde & has materias, discrimen legum divinarum & humanarum, & doctrinam de usu Cœnæ Domini, & aliorum Sacramentorum, & de Votis. Et hæc fuerunt præcipua certamina. Quæstionem de Romani Episcopi potestate Ec-

VITA

cius movit, non aliam ob causam, nisi ut accenderet Pontificis & Regum odia adversus eum.

Symbola vero Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum purissime retinuit, Deinde in ritibus & traditionibus humanis quid & cur mutandum sit, satis copiose in multis scriptis exponit, & quid retineri voluerit, & quam formam doctrinæ & administrationis Sacramentorum probaverit, liquet ex Confessione, quam Dux Saxoniae Elector Johannes, & Princeps Philippus Landgravius Cattorum &c. in Conventu Augustano Imp. Carolo V. Anno 1530. exhibuerunt. Liquet idem ex ipsis Ecclesiae ritibus in hac urbe, & ex Doctrina, quæ sonat in Ecclesia nostra, cujus summa in Confessione perspicue comprehensa est. Quod ideo recito, ut non solum considerent pii, quos errores taxaverit, quæ Idola sustulerit Lutherus, sed etiam sciant complexum esse universam doctrinam Ecclesiae necessariam, & puritatem in ritibus restituisse, & piis Exemplis instaurandarum Ecclesiarum monstrasse. Ac utile est, posteritatem scire, quid probaverit Lutherus.

Illud commemorare hoc loco nolo, qui primi publice præbuerint utramque partem Cœnæ Domini, qui primi omiserint privatas Missas, ubi deserta primum sint Monasteria. Nam Lutherus de his materiis ante Conventum, qui fuit in urbe Vangionum Anno 1521. tantum pauca disputaverat. Ritus non mutavit ipse, sed eo absente Carolo Stadius & alii ritus mutarunt: Cumque quædam tumultuosius fecisset Carolo Stadius, rediens Lutherus, quid probaret aut non probaret, editis suæ sententiæ perspicuis testimoniis, declaravit.

Scimus politicos viros vehementer detestari omnes mutationes, & fatendum est, discordiis etiam propter justiss. causas

causas motis, in hac tristi confusione vitæ humanæ semper aliquid mali misceri. Sed tamen in Ecclesia necesse est anteferri mandatum Dei omnibus rebus humanis. Æternus Pater hanc vocem de Filio edidit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, & minitatur æternam iram blasphemis, hoc est iis, qui agnitam veritatem delere conantur, quare pium & necessarium officium fuit Lutheri, præsertim cum Ecclesiam Dei doceret, taxare perniciosos errores, quos homines Epicurei etiam nova impudentia cumulabant, & auditores recte docenti assentiri necesse fuit. Si vero mutatio odiosa est, si in discordia multa sunt incommoda, ut esse multa, magno cum dolore cernimus, culpa est tum illorum, qui initio errores sparserunt, tum horum, qui nunc eos diabolico odio tumentur.

Hæc non modo eo commemoro, ut Lutherum & ejus auditores defendam, sed etiam ut piæ mentes hoc tempore & ad posteritatem cogitent, qualis sit & semper fuerit veræ Ecclesiæ Dei gubernatio, quomodo Deus sibi voce Evangelii æternam Ecclesiam ex hac massa peccati, hoc est, ex magna hominum colluvie excerpit, inter quos lucet Evangelium, ut scintilla in tenebris. Ut Pharisæorum tempore tamen Zacharias, Elisabeth, Maria, & alii multi veræ doctrinæ custodes fuerunt, ita etiam ante hæc tempora multi fuerunt, recte invocantes Deum, alii magis alii minus perspicue tenentes Evangelii doctrinam. Talis fuit & ille Senex, de quo dixi, qui Lutherum conflictantem pavoribus sæpe erexit, eique aliquo modo monstrator fuit doctrinæ & fidei. Ita ut fervet Deus deinceps in multis lucem Evangelii, ardentibus votis precemur, sicut Esaias pro suis auditoribus precatur, ob signa legem in discipulis meis.

ratio ostendit, fucatas superstitiones non esse durabiles, sed evelli divinitus. Hæc cum sit causa mutationum, cavendum est, ne errores in Ecclesia doceantur.

Sed redeo ad Lutherum, ut initio sine privata cupiditate in hanc causam ingressus est, ita etsi fuit natura ardens & iracunda, tamen semper sui muneris memor, tantum docendo præliatus est, ac vetuit arma sumi, sapienterque distinxit officia toto genere diversa, Episcopi docentis Ecclesiam Dei, & Magistratum, qui gladio coercent certorum locorum multitudinem.

Quare cum aliquoties Diabolus, qui scandalis dissipare Ecclesiam & contumelia Deum afficere studet, & ut est *ἐπιχαίρει κακός*, voluptatem capit ex hominum miserorum erroribus & exitio, inflammasset seditiosa in genia ad excitandos tumultus, ut Monetarium & similes, acerrime illos furores damnavit, & dignitatem ac vincula omnia politici ordinis non solum ornavit, sed etiam munivit. Cum autem apud me cogito, quam multi magni viri in Ecclesia sæpe in hac re hallucinati sint, plane statuo, non sola humana diligentia, sed etiam divina luce pectus ejus gubernatum fuisse, ut intra sui muneris metas tam constanter manserit.

Execrabatur igitur non solum hujus ætatis seditiosos Doctores, Monetarium & Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos Romæ, qui audaciss. impudentissimeque Decretis conditis affirmarunt, Petro non tantum Evangelii docendi munus mandatum esse, sed etiam imperia politica tradita esse.

Denique erat hortator omnibus, ut quæ Dei sunt Deo darent, quæ Cæsaris, id est, ut vera pœnitentia, veræ doctrinæ agnitione & propagatione, vera invocatione, & bonæ conscientia

tia

tia officiis Deum colerent. Suae vero politicae quisque in omnibus civilibus officiis reverenter propter Deum obtemperaret. Ac talis quidem Lutherus ipse fuit, quae Dei sunt Deo dedit, recte docuit, Deum recte invocavit, habuit alias virtutes necessarias in homine, qui placet Deo, Deinde in politica consuetudine constantissime vitavit omnia seditiosa consilia. Has virtutes tanta esse judico decora, ut alia majora in hac vita expeti non possint.

Et quamquam ipsius viri virtus etiam laude digna est, tamen quae Dei donis reverenter usus est, tamen praecipue Deo gratias agi necesse est, quod per eum restituit nobis Evangelii lucem, & ipsius doctrinae memoria retinenda & propaganda est. Nec moveor clamoribus Epicureorum aut Hypocritarum, qui aut rident aut damnant manifestam veritatem, sed vere statuo consensum perpetuum esse Catholicae Ecclesiae DEI hanc ipsam doctrinae vocem, quae sonat in Ecclesiis nostris, & hujus doctrinae agnitione necessario regendam esse invocationem & vitam. Denique hanc ipsam esse doctrinam, de qua Filius Dei inquit, si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Loquor enim de summa Doctrinae, ut in Ecclesiis nostris a piis & eruditis intelligitur & explicatur. Nam etiam si alii magis, alii minus proprie & coninne interdum aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa inter pios & eruditos consensus est.

Ac mihi saepe multumque cogitanti, de omnium temporum doctrina, inde usque ab Apostolis, post primam puritatem secuta videntur mutationes doctrinae insignes quatuor.

Origenica

Origenica ætas, etsi aliqui fuerunt recte sentientes, qualem fuisse Methodium arbitror, qui deliramenta Originis impro-
bavit, tamen in animis multitudinis inflexit Evangelium ad
Philosophiam, hoc est, offudit hanc persuasionem, medio-
crem rationis disciplinam mereri remissionem peccatorum,
& esse justitiam de qua diceretur: Justus ex fide sua vivet.
Hæc ætas penè totum amisit discrimen Legis & Evangelii, &
sermonem Apostolicum dedidit, non enim retinuit nati-
vam significationem vocabulo ex literæ, spiritus, justitiæ, fi-
dei. Et amissa verborum proprietate, quæ rerum notæ sunt,
alias confingeres necesse est. Itaque cum Apostoli puram
doctrinam seu limpidos & saluberrimos fontes Ecclesiæ de-
dissent, multum infudit cœni Origines.

Hujus ætatis errores ut emendarentur, saltem aliqua
ex parte, Augustinum Deus excitavit, hic mediocriter fontes
repurgavit, nec dubito, si hic Judex esset controversiarum hu-
jus ætatis, habituros nos cum prorsus *ὁμολογοῦντες*. Certe de re-
missione gratuita, de justitia fidei, de usu, Sacramentorum,
de adiaphoris expresse nobiscum semit. Etsi autem alibi ma-
gis, alibi minus diserte seu proprie exponit quod vult, tamen
si Lector candorem & dexteritatem in judicando ad eum ad-
feret, sentire eum nobiscum agnoscit. Quod enim adver-
sarii nostri interdum sententias ex eo decerptas, contra nos ci-
tant, & ad patres magno clamore provocant, id non faciunt
veritatis & antiquitatis studio, sed sycophantice præsentibus
idolis auctoritatem veterum prætexunt, quibus hæc idola po-
stremæ ætatis adhuc ignota erant.

Sed semina superstitionum tamen in illa Patrum ætate
extitisse adparet. Ideo & de votis quædam constituit Augu-
stinus, etsi de his quoque minus horride loquitur quam cæte-
ri,

ri. Semper autem aliquid ineptiarum singulos etiam bonis aspergunt contagia suæ ætatis, quia ut patriæ, ita præsentibus favemus quibus innutriti sumus, verissimumque illud est Euripidis, πᾶν σὺν τροφῷ γλυκὺ. Utinam vero omnes qui Augustinum sequi se jactitant, perpetuam sententiam, & ut ita dicam, pectus Augustini referrent, non tantum multa dicta calumniose detorquerent ad suas opiniones.

Ac restituta lux Augustini scriptis, post eritati profuit, nam deinde Prosper, Maximus, Hugo, & aliqui similes, qui studia gubernarunt, usque ad Bernardi ætatem, propemodum Augustini normam sequuntur. Interea tamen, crescentibus Imperiis & opibus Episcoporum, secuta est velut Gyantum ætas, profani homines & indocti regnarunt in Ecclesia, quorum aliqui aulæ Romanæ artibus, aut forensi doctrina exculti fuerunt.

Exorti sunt igitur Dominicani, & Franciscani, qui cum viderent luxum & opes Episcoporum, & profanos mores detestarentur, modestiorem vitam instituerunt, sequæ quæ disciplinæ carceribus incluserunt. Sed primum inscitia superstitiones auxit, Deinde cum viderent hominum studia, in Scholis ad solam forensam doctrinam converti, quod Romæ jam lites multis augerent auctoritatem & opes, ipsi revocare homines ad Theologica studia conati sunt, sed consilium defuit. Albertus & similes, qui dediti fuerant Aristotelis doctrinæ, transformare Ecclesiæ doctrinam in philosophiam cœperunt. Et hæc quarta ætas, non tantum cœnum, sed insuper venena, id est, opiniones probantes manifesta idola in fontes Evangelicos infudit: Tantum labyrinthorū & falsarum opinionum est in Thoma, Scoto & similibus, ut semper saniores Theologi desideraverint aliud gen9 doctrinæ planius & purius.

C

Nec

Nec sine insigni impudentia dici potest, non fuisse opus ejus doctrinae mutatione, cum manifestum sit, magnam partem Sophismatum in illis disputationibus ne ab iis quidem intelligi, qui in eo doctrinae genere consenuerunt. Deinde aperte confirmantur *ἰδωλομανίαι*, ubi docent applicationes Sacrificii ex opere operato, ubi statuarum invocationes excusant, ubi negant gratis peccata remitti fide, ubi ex Ceremoniis humanis carnificinam faciunt conscientiarum, denique multa sunt alia magis tetra & *δύσφημα*, quae cogitans tota corpore cohorresco.

Gratias igitur agamus Deo aeternos Patri Domini nostri Jesu Christi, qui Martini Lutheri ministerio ex fontibus Evangelicis rursus ejici coenum & venena voluit, & Ecclesiae puram doctrinam restituit, quae de re cogitantes omnes pios toto orbe terrarum conjungere vota & gemitus decet, ac petere ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc quod operatus est in nobis, propter templum sanctum suum. Tua est haec vox & promissio, vive & vere Deus, aeternae Pater Domini nostri Jesu Christi, conditor omnium rerum & Ecclesiae propter nomen meum miserebor vestri, propter me, propter me faciam, ut non blasphemem. Te oro toto pectore, ut propter gloriam tuam & Filii tui semper tibi inter nos quoque Ecclesiam aeternam voce Evangelii tui colligas, & propter Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, *Μεσίτην καὶ ἰκέτην*, nostra pectora Spiritu sancto regas, ut te vere invocemus, & officia tibi placentia praestemus.

Rege etiam studia doctrinae, & gubernata ac servata has politias & earum disciplinam, quae sunt hospitia tuae Ecclesiae & studiorum; Cum ideo genus humanum condideris, ut ab
homi.

hominibus agnoscaris & invoceris, quare & illustribus testimoniis te patefecisti, non sinas deleri hæc agmina, in quibus doctrina tua sonat. Cumque Filius tuus Dominus noster Jesus Christus aditurus agonem suum precatus sit pro nobis: Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Ad hujus nostri Sacerdotis precationem nostra vota adjungim⁹, & petimus una cum ipso, ut tua doctrina semper luceat in genere humano, & nos gubernet. Hæc quotidie precantem & Lutherum audiebamus, & inter hæc vota anima ejus ex mortali corpore placide evocata est, cum jam ageret annum sexagesimum tertium.

Habet posteritas multa monumenta & doctrinæ & pietatis ipsius. Edidit scripta διδασκαλικά, in quibus doctrinam complexus est salutarem, & necessariam hominibus, erudentem bonas mentes de pœnitentia, de fide, & veris fructibus fidei, de usu Sacramentorum, de discrimine Legis & Evangelii, de discrimine Evangelii & Philosophiæ, de dignitate politici ordinis, denique de præcipuis Articulis doctrinæ, quam in Ecclesia extare necesse est. Deinde addidit ἐλεγμτικά, in quibus refutavit multos errores perniciosos hominibus. Deinde addidit & ἐξηγητικά, id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apostolica scripta, quo in genere etiam inimici fatentur, cum superare omnium enarrationes, quæ extant.

Hæc merita esse magna omnes piæ mentes intelligunt, sed profecto utilitate & labore æquat hæc opera, interpretatio veteris & novi Testamenti, in qua tanta est perspicuitas, ut vice Commentarii esse possit ipsa germanica lectio, quæ tamen non est nuda, sed habet adjunctas eruditissimas annotationes, & singularum partium argumenta, quæ & summam doctrinæ cœlestis monstrant, & de genere sermonis e-

rudunt Lectorem, ut ex ipsis fontibus bonæ mentes firma
testimonia doctrinæ sumere possint. Volebat enim Luthe-
rus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes deducere om-
nium mentes. Ipsam vocem Dei audire nos voluit, hac vo-
luit in multis accendi veram fidem & invocationem, ut Deo
vere celebraretur, & multi fierent heredes vitæ æternæ.

Hanc voluntatem & hos tantos labores & grata mente
prædicare decet, & exempli causa meminisse, ut nos quoque
pro suo quisque modo ornare Ecclesiam studeat. Nam ad
hos duos fines præcipue tota vita, & omnia vitæ studia &
consilia referenda sunt, Primum, ut Dei gloriam illustremus:
Deinde, ut Ecclesiæ profimus. De quorum altero dicit
Paulus, omnia ad gloriam Dei facite. De altero Psalmus
CXXII. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. Et additur
dulcissima promissio in eodem versu, eos qui diligunt Eccle-
siam felices & beatos fore. Hæc cœlestia mandata & hæ pro-
missiones invitent omnes, ut Ecclesiæ doctrinam recte di-
scant, ament ministros Evangelii, & salutare Doctores, &
conferant studium & operam ad veræ doctrinæ
propagationem, & ad veræ Ecclesiæ con-
cordiam tuendam.

SE-

SEQVUNTUR ACTA RE-
 VERENDI PATRIS D. MARTINI LUTHERI,
 coram Cæsare Carolo V. Principibus, Electoribus &
 Imperii ordinibus, in Comitibus Principum
 Vormatiæ.



Anno salutis Nostræ M. D. XXI. post Do-
 minicam Misericordia Domini, feria tertia, Do-
 ctor Martinus Lutherus Vormatiam ingressus
 est, vocatus a Carolo, Imperatore, ejus nomine V. Rege Hi-
 spaniarum, Archiduce Austriæ &c. qui primo imperii sui an-
 no, primum conventum Principum in ea urbe regia celebra-
 vit. Cum autem ante triennium Paradoxa quædam dispu-
 tanda proposuisset Vitebergæ in Saxonibus D. Martinus, ad-
 versus Tyrannidem Romani Episcopi, (quæ tamen interea
 a Pontificiis varie lacerata, damnata & exusta fuerunt, a nul-
 lo tamen aut scripturis aut rationibus convicta) cœpit res ad
 tumultum spectare, vulgo causam Evangelii adversus Cleri-
 cos tuente. Et ob id bonum videbatur, instigantibus Ro-
 manis Legatis, ut ipse Lutherus, accerferetur Fæciali Cæsæ-
 reo & principibus datis. Accersitur, venit, ac divertit in Cu-
 riam Rhodiensium militum, seu quos vocant, Teutonicæ Or-
 dinis, ubi hospitio collectus est, & a multis Comitibus, Baro-
 nibus, Equitibus auratis, Nobilibus, Sacrificis & Profanis
 in multam usque noctem salutatus ac requisitus.

Ceterum multis & adversariæ partis & aliis, adventus
 ejus prorsus præter opinionem acciderat, nam etsi per nun-
 cium imperialem, & datis literis publicæ fidei, accersitus e-
 rat,

rat, tamen quia paucis diebus, antequam veniret, publice & palam affixis literis ejus libri damnati erant, nemo existimabat eum, hoc præjudicio condemnatum, adventurum esse. Et cum in vicino oppido Oppenheim, ubi primum hæc rescivit Lutherus, ab amicis ejus deliberatio haberetur, ac plerique consulerent, ne se ipse exponeret periculo, cum videret hæc principia contra datam fidem fieri, auditis omnibus, ipse magno animo respondit, mihi vero, quia vocatus sum, decretum & certum est ingredi in urbem, in nomine Domini Jesu Christi, etiamsi scirem tot Diabolos mihi oppositos, quod sunt tegulæ in omnibus totius orbis tectis, &c.

Altero die post adventum ejus, feria quarta, vir nobilis, Magister equitum imperii, Ulricus de Pappenheim, a Cæsare missus, ante prandii tempus venit, indicans Doctori Martino Caroli Imperatoris mandatum, ut hora pomeridiana quarta, apud Cæsaream Majestatem, Principes, Electores, Duces, & reliquos Imperii Ordines sese sistat a auditurus ad quid accersitus sit, quod Doctor Martinus, ut debuit, accepit.

Ac statim post horam quartam auditam ejus dici, venit, D. Ulricus de Pappenheim, & Casparus Sturm Fæcialis per Germanias Cæsareus, (quo Caduceatore e Viteberga erat excitus, ac Wormatiam usque deductus D. Martinus) qui ipsum evocatum comitabantur per hortum Curia Rhodiensium, in diversorium Palatim Comitis. Et ne quida turba pateretur, quæ in justo ad Cæsaream domum itinere magna fuit, per gradus quosdam abditos in Auditorium deductus est, non tamen latuit multos, qui ab ingressu vix vi prohibebantur, plerique pergulas conscenderunt, studio videndi Lutherum.

Cum

Cum igitur staret in conspectu Cæsareæ Majestatis, Principum Electorum & Ducum, breviter, omnium Imperii Ordinum, qui tum Cæsari adfuere, D. Martinus, primum admonitus est ab Ulrico de Pappenheim, ne quid loqueretur nisi quæsitus.

Ibi Cæsareæ Majestatis Orator Joannes Eck, Officialis generalis Episcopi Trevirensis, alta & intelligibili voce, primum latine, deinde germanice, jussu Imperatoris dixit & proposuit eandem sententiam, in hunc, aut ei in effectu similem, qui sequitur, modum.

Martine Luthere, sacra & invicta Cæsarea Majestas, de consilio omnium sacri Romani Imperii Ordinum, ad solium Majestatis suæ huc vocari te jusfit, ut his duabus de causis te interrogarem: Primum, fatearis ne libros hos præsentés (fascie librorum suorum latine & germanice scriptorum ostenso) qui tuo nomine prætitulati circumferuntur, tuos esse, illosque pro tuis agnoscas nec ne? Deinde, an illos & eorundem contenta retractare & revocare, vel inhærere eisdem potius & inseverare velis?

Hic, priusquam Lutherus responderet, D. Hieronymus Schurff, qui Doctori Martino additus adstabat, exclamavit, intitulentur libri. Hic Officialis Trevirensis, ex libris D. Martini Lutheri, eos qui Basileæ simul sunt excusi, nominatim recitavit, inter quos etiam numerabantur Commentarii in Psalterium, libellus de bonis operibus, Commentarius in Dominicam orationem, & præter hos alii libelli Christiani, non contentiosi.

Post hæc, & ad hæc D. Martinus ista reddidit latine & germanice: A Cæsarea Majestate duo mihi proponuntur: Primum, an libros omnes nomen meum habentes pro meis
agno.

Cum

agnoscere velim? Secundum, an defendere, an vero quidquam reclamare velim ex iis, quæ hæctenus per me scripta, & edita sunt? Ad quæ respondebo breviter, ut potero, & recte.

Primum, libros jam nominatos non possum non amplecti pro meis, & eorum quidem nihil unquam negabo. Ceterum, quod sequitur, ut exponam, an defendere pariter omnia, vel revocare velim, quia de fide est quæstio & animarum salute, & quia divinum verbum concernit, quo nihil majus est, tam in cælo quam in terra, quod nos merito revereri convenit omnes, temerarium ac juxta periculosum fuerit, me quidquam incogitatum proferre, cum & minus quam pro re, & majus quam pro vero, non præmeditatus, asserere possim, quorum utrumque me in sententiam adducet, quam Christus tulit, cum ait, qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Peto igitur hac de causa, & quidem suppliciter, a Cæsarea Majestate spaciū deliberandi, ut citra divini verbi injuriam, & animæ meæ periculum interrogationi satisfaciam.

Ex eo Principum cœpit de liberatio, quam ita reddidit Officialis Treverensis: Etsi jam tu, Martine Luthere, ex mandato Cæsareo satis intelligere potueris, ad quid accersitus sis, & ea de causa jam indignus, cui longior cogitandi mora detur, tamen ex ingenita clementia, Cæsarea Majestas diem unum indulget meditationi tuæ, ut cras in horam eandem coram compareas, ea conditione, ne scriptam sententiam tuam proponas, sed verbis exequaris.

Post hæc D. Martinus per Fæcialem redditus est hospitio suo. In qua re non fuit prætereundum, quod inter eundem ad audiendum Cæsaris mandatum, & cum jam esset in ipso

ipso principum confesso Lutherus, ab aliis, alia voce, com-
monebatur, ut esset forti animo, ut viriliter ageret, ne time-
ret eos, qui corpus tantum possent occidere, animam non
possent, sed potius metueret sibi ab eo, qui posset & corpus
& animam mittere in gehennam. Item: Cum steteritis ante
Reges, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis
in illa hora, &c.

Sequenti feria quinta, post quartam pomeridianam,
venit Fæcialis, & assumptum D. Martinum in Curiam Cæsaris
perduxit, ubi propter Principum occupationes ad sextam
usq; mansit, expectans in magna hominum frequentia, se
ipsam conterente præ turba, cumque concessus factus factus
esset, & Doctor Martinus adstaret, prorupit Officialis in hæc
verba..

Hæcno vesperi Cæsarea Majestas hanc horam tibi
dixit Martine Luthere, Quandoquidem Libros, quos heri
recensuimus, tuos esse palam recepisti. Ceterum ad quæ-
sitionem, an quidquam eorum irritum haberi velles, aut o-
mnia probares quæ confiteris? deliberationem petisti, quæ
nunc finem habet, Etiam si jure impetrare non debueras lon-
gius cogitandi spacium, qui tanto tempore scivisti, ad quid
vocareris. Et fidei negotium tam certum omnibus esse
conveniebat, ut quisque quocunque tempore postulatus, ra-
tionem ejus certam & constantem reddere possit, nedum
tu tantus & tam exercitatus Theologiæ professor. Age, tan-
dem responde Cæsareæ postulationi, cujus benignitatem in
impetrando cogitandi spacio sensisti. Vis ne libros tuos a-
gnitos omnes tueri? an vero quidquam retractare? Hæc la-
tine & germanice dixit Officialis.

Respondit Doctor Martinus, & ipse latine & ger-
manice, quanquam suppliciter, non clamose, ac modeste,
non tamen sine Christiana animositate & constantia,
&

& ita, ut cupierint Adversarii orationem & animum abjectiorem. Sed multo cupidissime expectarunt Revocationem, cujus spem, expetito deliberandi spatio, nonnulli conceperant.

Sic autem respondit,

Sereniss. D. Imperator, Illustriss. Principes Clementissimi Domini, ad præfixum mihi hesternò vesperi terminum obediens compareo, per misericordiam Dei obsecrans, serenissima Majestas vestra, Dominationesq; vestræ illustrissimæ, dignentur causam hanc (ut spero) justitiæ & veritatis clementer audire. Atq; si per imperitiam meam vel dignos titulos cuiquam non dederò, vel quocunq; modo in mores gestusq; aulicos peccaverò, benigniter ignoscere, ut homini non in Aulis, sed in angulis Monachorum versato, qui nihil aliud de me testari possum, quam ea simplicitate animi hætenus me docuisse & scripsisse, ut tantum gloriam Dei, & sinceram fidelium Christi institutionem spectarem.

Serenissime Imperator, Illustriss. Principes, Clementiss. Domini, ad duos illos Articulos heri per Sereniss. Majestatem vestram mihi propositos, scilicet: An libellos recensitos, & nomine meo evulgatos agnoscerem meos? & in his defendendis perseverare aut revocare velim? Dedi paratum & planum meum responsum, super Articulo priore, in quo adhuc persisto, persistamq; in æternum, esse videlicet eos libros meos, meoq; nomine à me evulgatos, nisi forte interim acciderit, ut æmulum vel astutia, vel sapientia importuna quidquam in illis mutatum, aut depravate excerptum sit. Nam aliud plane non agnosco, nisi quod mei solius est, & à me solo scriptum, citra omnis cujusvis industriæ interpretationem.

Ad alterum vero responsurus, rogo, Sereniss. Majestas vestra, & Dominationes vestræ dignentur animum advertere.

re.

re. Libros meos non esse omnes ejusdem generis: Sunt enim aliqui, in quibus pietatem fidei & morum adeo simpliciter & Evangelice tractavi, ut ipsimet adversarii cogantur eos confiteri utiles, innoxios, & plane dignos lectione Christiana. Sed & Bulla, quæquam sæva & crudelis, aliquod meos libros innoxios facit, licet & hos damnet, judicio prorsus monstrifico. Si itaq; hos revocare inciperem, obsecro, quid facerem, nisi quod unus ex omnibus mortalibus eam veritatem damnarem, quam amici & inimici pariter confitentur, solus omnium confessioni concordi reluctatus?

Alterum genus est, quod in Papatum & doctrinam Papistarum inuehitur, tanquam in eos, qui suis & doctrinis & exemplis pessimis, orbem Christianum utroq, malo, & spiritus & corporis vastaverunt, nam neq; negare id, neq; dissimulare quisquam potest, cum experientia omnium & universorum quærimonia testes sint, per leges Papæ & doctrinas hominum conscientias fidelium miserrime esse illaqueatas, vexatas & excarnificatas, tum res & substantias, præsertim in hac inclyta Germaniæ natione, incredibili Tyrannide devoratas, devorariq; adhuc sine fine indignisq; modis: cum tamen suismet legibus ipsi caveant, (ut dist. 9. & 25. q. 1. & 2.) Ut Papæ leges & doctrinæ Evangelio aut Patrum sententiis contrariæ, pro erroneis & reprobis habeantur.

Si igitur & hos revocavero, nihil aliud præstitero, quam ut Tyrannidi robur adiecero, & tantæ impietati jam non fenestras, sed valvas aperuero, grassaturæ latius & liberius quàm hactenus unquam ausa fuerit, & fiet hujus meæ revocationis testimonio, licentiosissimum impunitissimumq; nequitiae illorum regnum, misero vulgo longe intolerabilissimum, & tamen roboratum & stabilitum, præsertim si jactatum fuerit, id à me factum auctoritate sereniss. Majestatis vestræ,

totiusque Romani Imperii. Quantum ego, DEUS bone,
tum fuero operculum nequitiæ & Tyrannidis.

Tertium genus eorum est, quos in aliquos privatos & singulares (ut vocant) personas scripsi, in eos scilicet, qui Tyrannidem Romanam tueri, & pietatem à me doctam labefactare moliti sunt. In hos confiteor me fuisse acerbiorum, quam pro religione aut professione deceat, neque enim me sanctum aliquem facio, neque de vita mea, sed de doctrina Christi disputo.

Neque hos revocare mihi est integrum, quod ea revocatione iterum futurum sit, ut Tyrannis & impietas meo patrocinio regnent, & saviant in populum DEI violentius, quam unquam regnaverint.

Tamen quia Homo sum & non Deus, alio patrocinio meis libellis adesse non possum, quam ipse Dominus meus Jesus Christus affuit suæ doctrinæ, qui cum coram Hanna de sua doctrina fuisset interrogatus, & alapam à ministro accepisset, dixit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si Dominus ipse, qui sciebat sese errare non posse, non detrectavit testimonium adversus suam doctrinam audire, etiam à vilissimo servo, quanto magis ego fex, non nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si quis testimonium reddere velit adversus meam doctrinam.

Itaque rogo per misericordiam Dei, Sereniss. Majestas vestra, Illustrissimæque Dominationes vestrae, aut quicumque tandem, vel summus vel infimus possit, reddat testimonium, convincat errores, superet scripturis Prophetis & Apostolicis, paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quemcumque errorem revocare, eroque primus, qui libellos meos in ignem projiciam.

Ex his arbitror liquidum fieri, me satis curasse & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meae
doctrinae

doctrinae occasione, in orbe excitata, de quibus heri graviter & fortiter admonitus fui. Mihi planae omnium jucundissima facies ista in rebus est, videre ob verbum Dei studia & defensiones fieri, is enim est verbi cursus, casus & eventus, nam dicit, non veni pacem mittere sed gladium, veni enim separare hominem adversus patrem &c.

Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consiliis suis, ne forte id, quod tantis studiis tentatur, si à damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potius in intolerabile malorum diluvium, & quod cavendum sit, ne Adolescentis hujus optimi Principis Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat Imperium.

Possim locupletius exemplis scripturae, de Pharaone, Rege Babylonis, & Regibus Israel rem declarare, qui tum se se maxime perdiderunt, cum sapientissimis consiliis sua Regna pacificare & stabilire studuerunt. Ipse est enim qui comprehendit astutos in astutia sua, & subvertit montes antequam cognoscant. Itaque timere, Dei opus est.

Non haec dico, quod opus sit mea vel doctrina vel admonitione tantis verticibus, sed quod obsequium meae Germaniae debitum subtrahere non debuerim. Et his me Sereniss. Majestati vestrae, Dominationibusque vestris commendo, humiliter rogans, ne patiantur studiis Adversariorum, me sibi sine causa reddi invisum. DIXI.

His dictis, orator Imperii increpabundo similis, dixit, eum non ad rem respondisse, nec deberi in quaestionem vocari, quae olim in Cociliis essent damnata, & definita, ideo ab eo peti simplex & non cornutum responsum, an velit revocare vel non?

Hic LUTHERUS, quando ergo Sereniss. Majestas vestra, dominationesque vestrae simplex responsum petunt, dabo

D3

illud,

illud, neq; cornutum neq; dentatum, in hunc modum: Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum, aut ratione evidente, (nam neq; Papæ neq; Conciliis solis credo, cum constet ea errasse sæpius, & sibiipsis contradixisse) victus sum scripturis à me adductis, captaq; est conscientia in verbis Dei, revocare neq; possum neque volo quidquam, cum contra conscientiam agere, neque tutum sit neq; integrum.

Hie stehe ich/ Ich kan nicht anders/ Gott helff mir.
Amen.

Orationem hanc à Doctore Martino habitam, in consultationem deduxerunt Principes. Examinatam convellere cœpit Officialis Trevirensis hoc modo.

Immodestius tu Martine respondisti, quam tuam personam deceat, & adeo non ad propositum, libros varie partiris, verum ita, ut ad interrogationem nihil faciant omnia. Quod si eos recantasses, in quibus errorum tuorum magna pars est, haud dubie Cæsarea Majestas, & ingenita clemeniia, reliquorum, qui boni sunt, persecutionem non toleraret. Atqui tu, quæ universale Constantiense Concilium damnavit, ex uniuerfa Germanica natione congregatum, resuscitas, & per scripturam vincis, in quo vehementer deliras. Qui enim attinet novam Disputationem celebrare de rebus per tot secula ab Ecclesia & Concilio condemnatis? Nisi forte cuivis, de quocunque ratio reddenda est. Quod si semel pervicerit, ut scripturis convincendus sit, quicumque Conciliis & Ecclesiæ sensis contradicit, nihil habebimus in Christianitate certum vel determinatum.

Et hæc ctusa est, ob quam Cæsarea Majestas à te petit responsum simplex, ac planum, aut negatiuum aut affirmatiuum. Num vis omnia tua pro catholicis tueri? An vero quidquam ex eis revocare.

Ibi rogavit Doctor Martinus, ne se contra conscientiam

am

am à sanctis scripturis captam & impeditam, sine contradicentium manifestariis argumentis, ad revocandum cogi pateretur Cæsarea Majestas. Responsum quod petitur non cornutum, sed simplex & rectum. Neq; se aliud habere, quam quod ante quoque dedisset: Nisi sufficientibus argumentis, conscientiam ab illis, quos ipsi vocant, erroribus captam, explicarent Adversarii, nec se posse ex retibus abire, quibus esset involutus. Non protinus vera esse, quæcunque Concilia statuerunt, imo errasse Concilia, & sibiipsis sæpe contraria definiisse, propterea non valere contradicentium argumentum. Se posse ostendere, quod Concilia erraverunt, revocare non posse, quod sedulo palam expressum sit in scriptura.

Ad quæ nihil est responsum ab Officiali, nisi paucissimis, videlicet, quod ostendi non possit, Concilium errasse. Doctor Martinus vero ostendere se posse ac velle promisit.

Cum jam autem tenebræ totum auditorium haberent propterea suam quisque domum abiire. Discedentem à Cæsarea Majestate & Tribunali, Hispanorum bona pars ronchis & subsannatione hominē Dei, Lutherum, longo rugitu profecuti sunt.

Feria sexta post Misericordiam Domini, cum convenissent Principes, Electores, Duces, & reliqui Ordines, qui consultationibus adesse solent, scriptum hæc habens in Senatum misit Cæsar: Majores nostri, & ipsi Christiani Principes, fuerunt nihilo minus Ecclesiæ Romanæ audientes, quam nunc Doctor Martinus Lutherus impugnant, & quia ne latum quidem ungvem ab erroribus discedere in animū induxit, non possumus nos cum decore à Majorum Exemplo descidere, in antiqua fide tuenda, et Romanæ sedi auxilium ferendo: Ipsum autem Martinum Lutherum & adherentes, excommunicatione prosequemur, & si quæ alia patent ad

extin-

VORMAT.

extingvendum viæ. Datam tamen & ascriptam fidem violare nolumus, imò daturi operam, ut salvus eo redeat, unde est accitus.

Hanc Imperatoris Caroli sententiam versaverunt Principes Electores, Duces, Imperii status, feria sexta per totum tempus pomeridianum, etiam Sabbatum integrum quod sequebatur, ita, quod Doctor Martinus adhuc responsum à Cæsarea Majestate nullum receperit.

Interea temporis visus est & visitatus à multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Sacerdotibus, religiosis ac profanis, ne quid dicam de vulgi numero, hi curiam nunquam non obsederunt, nec videndo fatiari potuerunt. Etiam schedulæ binæ fuerunt affixæ, altera contra Doctorem Lutherum, Altera, ut videbatur, pro Doctore. Tametsi à multis adeoque intelligentibus, dolose ab Inimicit putatur factum id ipsum, ut occasio esset rescindendi dati salvi conductus, quod non impigre quærebant Romani Legati.

Feria secunda post Jubilate, ante cœnam, Archiepiscopus Treverensis renunciavit Doctori Martino, ut feria quarta sequenti coram ipso hora sexta ante prandium compareret, loco iterum designando. Die S. Gregorii, sub cœna, rediit ad Lutherum is, qui erat à Sacris Archiepiscopi Treverensis, jussu Principis sui, petens, ut postridie, hora nuper designata, in diversorium Domini sui ad esset.

Feria quarta post Georgii natalem, dicto parens Doctor Martinus, diversorium Archiepiscopi Treverensis ingreditur, adductus per Sacerdotem ejus, & Caduceatorem Cæsareum, prosequentibus eum, qui huc venientem è Saxonibus & Thuringis comitati sunt, & aliquot aliis præterea amicissimis, ubi coram Archiepiscopo Trevirensi, Marchione Joachimo Brandenburgensi, Duce Georgio Saxoniae, Augustensi & Brandenburgensi Episcopis, Magistro Teutonorum

nicorum Comite Georgio, Johanne Bock, Argentino, Vuerd-
 heymero, & Pentingere Doctoribus. Doctor Vœus, à sacris
 Marchionis Badensis, dioere cœpit, & protestatus est, non in
 hoc ipsum vocatum esse, ut tanquam in controversia vel di-
 sputatione cum ipso conferrent, sed solum ex Christiana cha-
 ritate & clementia quadam, Principes à Cæsarea Maiesttate
 impetrasse, ut liceret eis clementer & fraterne exhortari eum.

Deinde ait, Concilia, tametsi diversa statuerint, non ta-
 men statuuisse contraria, quod si vel maxime errassent, ob id ta-
 men non corruere eorum authoritatem, saltem adeo,
 ut quilibet suo sensu contra ea niti vellet. Inferens de Centu-
 rione, & Zacheo multa, etiam de constitutionibus humanis,
 Cæremoniis statutis, ea omnia affirmans sancita, ad reprimen-
 da vicia, pro qualitate & vicissitudine temporum, nec posse
 Ecclesiam carere constitutionibus humanis. Ex fructibus co-
 gnosci arborem. Dicit tamen ex legibus multa bona nata. Quod
 Conciliis S. Martinus, S. Nicolaus, & multi alii Sancti inter-
 fuerint,

Deinde, quod ingentes motus, et tumultus incredibiles
 excitaturi sint libri eius. Quod libello de libertate Christiana
 vulgus abutatur ad exuendum iugum, ad stabiliendam in obe-
 dientiam! Longe nunc secus habere, quam cum credentium
 cor unum & anima fuisset una, Legibus ergo opus esse.

Præterea expendendum, quod cum bona multa scripsis-
 set, & procul dubio bono spiritu, ut de Triplici Justitia, & alia,
 Diabolum hoc iam per insidias occultas agere, ut omnia eius
 opera in perpetuum damnentur. Nam ex his, quæ ultimo scri-
 pserit, vere judicaretur, quemadmodum arbor non ex flore,
 sed ex fructibus cognoscatur.

Ibi addidit de Dæmonio meridiano, & negotio per am-
 bulante in tenebris, & sagitta volante. Tota oratio fuit exhor-
 tatoria, locis rethoricis, honestatis, utilitatis Legum, & è re-
 gione periculorum conscientia, & salutis publicæ & privatæ,

plena. Tum in principio, tum medio, tum calce identidem inculcans, hanc admonitionem propensissima voluntate, & clementia quadam singulari à Principibus fieri. Claudens, in Epilogo minas addit, dicens futurum, ut si in proposito perseveraret, Cæsar procedat, eum ex Imperio eiekturus, commonefaciens, ut hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

Respondit Doctor Martinus, Clementissimi et Illustrissimi Principes & Domini, de voluntate ista clementissima & benignissima, ex qua hæc admonitio proficiscitur, ago gratias quam humilime possum. Agnosco enim me homuncionem longe viliozem esse, quam ut à tantis Principibus sim commonendus.

Deinde libere pronunciat, se non omnia Concilia reprehendisse, sed tantum Constantiense, ob hoc potissimum, quod verbum Dei damnavit, quod patet in Articulo hoc Johannis Hufs ibi damnato, Ecclesia Christi est universitas prædestinatorum. Hunc Articulum damnasse Concilium Constantiense, certum est, & sic consequenter hunc Articulum fidei nostræ: Credo Ecclesiam sanctam, Catholicam. Aiebat igitur, se non recusare & vitam & sanguinem impendere, modo eo non detrudatur, ut cogatur apertum Dei verbum revocare. Nam in hoc defendendo, oportere Deo magis quam hominibus obedire.

Neque se hic posse cauere Scandalum fidei, Scandalum enim duplex esse, charitatis & fidei. Charitatis, quod in moribus & vita consistit, fidei vero seu doctrinæ, quod in verbo Dei consistit, & hoc vitare se iam non posse, in sua enim potestate non esse, ut Christus non sit petra Scandali. Si oves Christi puro Evangelii pabulo pascerentur, fides Christi vere prædicaretur, essentq; boni ac pii Magistratus Ecclesiastici, qui fideliter officium suum facerent, non opus esse Ecclesiam onerare humanis traditionibus &c. Se scire, Obediendum esse Magistratibus & potestatibus etiam male & iniqve viventibus. Scire se, cedendum

cedendum esse proprio sensui, idq; se in suis scriptis docuisse, seq; obedientissime præstiturum hæc omnia, modo non adigatur verbum Dei negare.

Secedente Doctore Martino, Principes coll oqvuntur, quidnam respondendum sit homini? Revocatum igitur in Triclinium, Doctor Badensis repetivit priora, commonefaciens, ut sua scripta iudicio Cæsaris & Imperii subiiceret.

Respondit Doctor Martinus suppliciter, & modeste, se neq; pati neq; passurum, ut diceretur defugisse iudicium Cæsaris, Procerum et Ordinum Imperii. Tantum enim abesse, ut eorum examen reformidet, ut vel minimis quoq; accuratissime sua expendi permetteret, modo id fieret autoritate verbi divini & sacrae scripturae. Verbum autem Dei tam apertum pro se esse, ut cedere nequeat, nisi verbo Dei meliora edoctus. Scribere enim S. Augustinum, se didicisse hunc honorem solis libris illis habere, qui Canonici vocantur, ut veros credat, Cæteris vero Doctoribus quantumlibet vel sanctitate vel doctrina polleant, ita demum credere, si vera scriberent: Ad hæc S. Paulum ad Thessalonicenses scripsisse, omnia probate, quod bonum est tenete. Et ad Galatas: Etiam si Angelus è cælo veniat, & aliud prædicet, anathema sit, itaq; ei non credendum: Ideo & se suppliciter orare, ne conscientiam suam vinculis scripturae & verbi divini alligatam, urgeant ad negandum tam clarum verbum Dei, utq; se commendatum haberent, & præcipue apud Cæsaream Maiestatē efficerent, ne cogeretur contra conscientiam in hac causa quidquam agere, alioqui se nihil non vel obseqventissime facturum.

Hæc dicentem interrogavit Marchio Brandenburgensis, Joachimus Elector, num dixisset se non cessurum, nisi convictum sacra scriptura? Respondit Doctor Martinus, Etiam, Domine clementiss. vel rationibus clarissimis, & evidentibus.

Ita, soluto hoc Conventu, Principibus reliquis in Curiam

proficiscentibus, Trevirensis Archiepiscopus Doctorem Martinum accivit in suum Triclinium, adhibito Officiali suo Johanne Eckio & Cochleo: Doctori Martino Luthero astantabat D. Hieronymus Schurff, & Nicolaus Ambsdorffius. Ibi tum coepit Officialis argumentari ut Sophista & Canonista, Papae causam defendens. Ex sacris literis fere semper natas fuisse haereses, ut Arrianam ex hoc Evangelii: Joseph non cognovit conjugem suam, donec pareret primogenitum suum. Deinde eo progressus, ut niteretur convellere hanc propositionem, Ecclesiam catholicam esse universitatem Sanctorum, Ausus etiam ex lolio facere triticum, & ex corporum excrementis, Membra. Haec et similia ridicula & futilia ab ipso in medium prolata, Doctor Martinus, & D. Hieronymus Schurff perstrinxerunt, sobrie tamen, veluti ad rem ipsam nihil facientia, nonnunquam interstrepens et Johannes Cochleus, conabatur Doctori Luthero persuadere, ut ab incepto desisteret, & deinceps prorsus a scribendo & docendo abstineret. Tandem digressi sunt.

Sub vesperam eiusdem diei, Trevirensis Archiepiscopus nunciavit Doctori Martino, interprete Ambsdorffio, fide publicam a Caesare in biduum pertractam, ut interim cum eo agere posset. In hoc igitur, postridie, Doctorem Peutingerum & Doctorem Badensem ad eum venturos, imo & seipsum cum eo acturum.

Feria igitur quinta, ipsa die Marci, ante Meridiem, Peutingerus & Badensis conati sunt persuadere Doctori Martino, ut simpliciter & absolute Caesari & Imperio permitteret iudicium de scriptis suis.

Respondit: Se omnia & facturum & passurum, si modo scripturae sanctae niterentur auctoritate: Alioqui enim nihil minus commissurum. Nam Deum per Prophetam dixisse, nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Item: Maledictus qui confidit in homine. Vehementius

mentius urgentibus, respondit. Nihil minus permittendum hominum iudicio, quam verbum Dei. Ita abierunt, rogantes, ut deliberaret, meliora responsurus, a prandio se redituros.

Post prandium reversi, idem quod ante Meridiem, frustra conati sunt. Oraverunt, ut saltem Concilii futuri iudicio sua submitteret. Hoc permisit Lutherus, sed hac conditione, ut decerptos ex libris suis Articulos ipsi exhiberent Concilio subiiciendos, ita tamen, ut sententiam de illis ferrent ex scripturis, & testimoniis ejusdem contrarium probarent.

Illi itaque à Doctore Martino digressi, Archiepiscopo Treverensi dicunt, Martinum pollicitum esse, se sua permitturum Concilio, in Articulis nonnullis, interimque taciturum de iisdem. Quod Doctor Martinus ne quidem cogitarat, ut qui neque monitis nec comminationibus ullis induci unquam potuerit, ut vel negare vel hominum iudicio submittere vellet Libellos suos, quos claris & apertis Scripturis testimoniis muniisset, nisi convinceretur ex sacris literis & evidentibus rationibus se errasse.

Accidit ergo singulari Dei munere, ut Treverensis Archiepiscopus Doctorem Martinum evocaret, eum coram auditurus, ubi cum diversum intellexisset, quam Peutingerus & Badensis dixissent, affirmavit, non magno redempturum, nisi audivisset eum: Alioqui enim se statim Cæsarem aditurum fuisse, dicturumque, quæ retulissent Doctores.

Egit vero Treverensis Archiepiscopus clementissime cum Doctore Martino, primo, remotis omnibus Arbitris, cum de Cæsaris & Imperii, tum de Concilii iudicio. In quo colloquio Doctor Martinus nihil calavit Treverensem, affirmans, parum tutum fore, tantam rem illis permittere, qui sub fide publica evocatum, novis mandatis agresse, damnassent suam sententiam, & Bullam Papæ approbassent.

Deinde admissio etiam Amico, petivit Treveren. Archiepiscopus à Doctore Martino remedia, quibus huic causæ occurrerent.

curri possit, Respondit Lutherus, Meliora non esse remedia quam de quibus Gamaliel Act. 5. dixisset, teste S. Luca, si cæ hominibus consilium aut opus hoc est, dissoluetur, si vero ex Deo est, dissolvere non poteritis. Hoc posse Cæsarem & Imperii ordines scribere ad Pontificem Romanum, se certo scire, si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra triennium imo biennium sponte sua periturum.

Dicenti Treverensi, quid esset factururus, si decerperentur Articuli concilio submitteudi? Respondit Lutherus: Modo non sint hi, quos Concilium Constantiense damnaverit. Ait Treverensis, se vero timere, eos ipsos futuros. Atqui inquit Lutherus, de ejusmodi tacere neq; possum neq; volo, ut qui certus sum, iis Decretis verbum Dei damnatum, ideo vitam & caput potius amissurus sum, quam tam clarum verbum Domini deserturus.

Treverensis videns Doctorem Martinum Dei verbum, iudicio hominum nequaquam submissurum, clementer eum dimisit, Rogantiq; ut curaret sibi comitatum clementem à Cæsarea Majestate, respondit: Se rem probe curaturum, & renunciaturum.

Neque ita multo post, Officialis Treverensis, præsentis Cancellario quondam Maximiliani, à Secretis Cæsaris, Doctori Martino in diversorio suo, mandato Cæsaris dixit, quia tam multipliciter à Cæsarea Majestate, Electoribus, Principibus, et Ordinibus Imperii frustra commonefactus, ad cor & unitatem noluerit redire, reliquum esse, ut Cæsar (ut Advocatus fidei Catholicæ) procedat. Ergo mandatum Cæsaris esse, ut intra viginti unum dies hinc ad securitatem redeat, sub conductu publico, & libere ipsi servando, neq; vel prædicando vel scribendo, in itinere populum commoveat.

Quo audito, Doctor Martinus modestissime respondit, sicuti Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.

nedictum. Deinde addebat, se supplicem, primum omnium, Sereniss. Cæsar. Maieſtati, Principibus, & reliquis Imperii Ordinibus gratias agere, quam posset maximas, pro tam benigna & clementi audientia, proq; conductu libero et servato et servando. Neq; enim se quidquam desiderasse in eis, nisi reformationem per scripturam sanctam, à se tantopere flagitatam. Alioqvi pro Cæsarea Maieſtate & Imperio passurus omnia, vitam & mortem, famam & infamiam, nihilq; sibi prorsus reservaturum, nisi unicum verbum Domini liberum, ad confitendum & testificandum illud: Postremò, Cæsareæ Maieſtati, & toti Imperio se humillime tum commendans, tum subiiciens.

Postridie igitur, hoc est, feria sexta post Jubilate, die Aprilis vicesima sexta, salutatis Patronis & amicis, qui eum frequentissime convenerant, sumpto jentaculo hinc abiit, ad horam ante Meridiem decimam, comitatq; & ab iis, qui huc venientem profecuti sunt, quem Caspar Sturm Caduceator post aliquot horas secutus, Oppenheim invenit, Profecuturus vocali mandato Cæsaris Caroli.

PRAECATIO LUTHERI

QUOTIDIANA & SOLITA.

Confirma Deus hoc in nobis quod operatus est, & perfice opus tuum, quod incepisti in nobis, ad gloriam tuam, Amen.

PHILIPPUS MELANTHON AD

AUDITORIUM SCHOLAE WITTEBERGENSIS,

Anno 1546. De obitu Lutheri.

HÆc sequentia D. PHILIPPUS MELANTHON hora nona ante prandium, cum convenissemus ad auscultationem, Epistolæ Pauli ad Romanos, publice recitavit, commemorans, se hoc

se hoc ex consilio aliorum Dominorum facere, eam ob causam, ut nos admoniti de rei veritate, (quia scirent multas fabellas hinc inde de morte Lutheri vagaturas esse) figmenta illa sparsa non amplecteremur.

Optimi adolescentes, scitis nos suscepisse enarrare Grammaticam Explicationem Epistolæ ad Romanos, in qua continetur vera doctrina de Filio Dei, quam Deus singulari beneficio hoc tempore nobis per Reverendum Patrem & Præceptorem nostrum amantissimum, Doctorem Martinum Lutherum patefecit.

Verum hodierno die, tam tristia huc sunt scripta, quæ ita auxerunt dolorem meum, ut nesciam an possim posthac in hisce scholasticis pergere: Hæc autem consilio aliorum Dominorum ideo volo vobis commemorare, ut sciatis, quomodo res vere se habeat, ne vel ipsi falsa de hoc casu spargatis, neve aliis fabellis hinc inde (ut solet fieri) sparsis fidem habeatis.

Die Mercurii, qui fuit decimus septimus Februarii, Dominus Doctor, paulo ante coenam, coepit laborare morbo usitato, nempe, oppressione humorum, in orificio ventriculi (quo memini hic quoque cum aliquoties laborare) hic Morbo post coenam recurrit, quo eum conflictaretur, petivit secessum in cubiculum proximum; Atque ibi duas prope horas decubuit, donec dolores crescerent, & cum Doctor Jonas in eodem cubiculo una dormiret, Dominus D. Martinus eum vocavit & excitavit, iussitque ut surgeret, & curaret, ut Pædagogus Liberos Ambrosius calefaceret conclave, in quod cum ingressus esset, mox eò venit Illustris Comes Albertus de Mansfeld, una cum conjuge, & multi alii, quorum nomina hisce literis, propter festinationem, non sunt expressa. Tandem ubi finem vitæ adesse sensit, ante horam quartam sequentis 18. Febr. commendavit sese Deo hac precatone.

Mein

MEin Himmlischer Vater / ewiger Barmherziger
Gott / Du hast mir deinen lieben Sohn / unsern
Herren **J**esum **C**hristum offenbahret / den hab ich ge-
 lert / den hab ich bekandt / den liebe ich / und den ehre ich für
 meinen lieben Heyland / und Erlöser / welchen die Gottlo-
 sen verfolgen / schenden und schelten. Nim meine Seele zu
 dir. In dem redet er in die drey mal.

In manus tuas commendo Spiritum meum, redemisti
 me DEUS veritatis.

Also hat **G**ott die Welt gellebet / *ic.*

His precibus aliquoties ingeminatis, à DEO in æternam
 Scholam & in æterna gaudia evocatus est. in qua fruitur con-
 suetudine Patris, Filii, Sp. Sancti, omnium Prophetarum &
 Apostolorum.

ACH, Obiit Auriga & currus Israel, qui rexit Ecclesiam
 in hac ultima senecta mundi: Neque enim humana sagacitate
 deprehensa est doctrina de Remissione peccatorum, & de fi-
 ducia Filii Dei, sed à Deo per hunc virum patefacta, quem eti-
 am à Deo excitatum vidimus fuisse.

Amemus igitur huius Viri memoriam, & genus Doctri-
 næ ab ipso traditum, & simus modestiores, & consideremus in-
 gentes calamitates, & mutationes magnas, quæ hunc casum
 sunt secutura.

Te Fili Dei, crucifixe pro nobis & resuscitate Ema-
 nuel, oro, ut Ecclesiam tuam regas, serves, &
 defendas, Amen.

F

SE-

SEQVVNTVR ALIQVO

DISTICHA, DE ACTIS LVTHERI,

quæ simul annorum numerum, quædam etiam
diem in se comprehendunt, ut.

D. Martinus natus est, Anno 1483. Quod tempus compre-
hensum est hoc sequenti Disticho.

Natus es Islepii divine Propheta Luthere,
Religio fulget, te Duce, Papa iacet.

ANNUS MAGISTERII.

1503.

Erfurdi Juvenis titulos capit urbe Magistri,
Lustra suæ ætatis quatuor acta colens.

ANNUS MONACHATUS.

1504.

Vana superstitio corpus iuvenile cucullo
Ornat, id omne tibi fraudi age Papa fuit.

ANNUS QVO WITTEBERGAM VENIT.

1508.

Mittitur Albiorin, Christo auxiliante, Lutherus,
Quantus erat Vates? gloria quanta Scholæ?

ANNUS DOCTORATUS, ET QVO ROMÆ FUIT.

1511.

Staupicii est jussu titulos Doctores adeptus,
Ut trucis Italiae venit ab urbe Lupi.

ANNUS

ACTIS LUTHERI.

43

ANNUS RESTAURATÆ RELIGIONIS.

1517.

Religionis opus cœno extrahis, auspice Christo,
Verax, o dextro, nixe Luthere, Deo.

ANNUS CONFSSIONIS CORAM CAIETANO

Augustæ, quæ extat Tomo I. pagina 207.

1518.

Augustæ Christum profitetur in urbe Lutherus,
Non curans vultus, præsul, acerbe tuos.

ANNUS DISPUTATIONIS LIPSICÆ.

1519.

Eccius est Justi victus virtute Lutheri,
Disputat ut Julii Lipsiæ in urbe die.

ANNUS CONFSSIONIS IN COMITIIS VORMATIENSIBUS.

1521.

Cæsaris ante pedes. proceres stetit ante potentes,
Accola quæ Rheni Vangio littus adit,

ANNUS PATHMI.

1522.

Carlstadii ob furias ad Saxona tecta recurrit,
Faucibus ex sævis rursus ovesq; rapit.

ANNUS MATRIMONII ET Seditiois Rusticorum.

1525.

Seditio Agricolaë ferro est restincta potenti,
Fœdera conjugii casta Lutherus init.

ANNUS CONVENTUS MARPURGII.

1529.

Marpurgi Coenæ Christi ferit acriter hostes;
Stabat ut à sævis cuncta Vienna Getis.

F 2

ANNUS

CARMINA DE
ANNUS CONVENTUS AUGUSTANI.

1530.

Augustæ Statibus fidei confessio cunctis
Proposita est, Christi gloria læta redit.

ANNUS OBITUS LUTHERI.

1546.

Nona bis obscuro lux februa constitit ortu.
In patrio ut moreris, clare Luthere, solo,

Hæc Disticha mutuati sumus ex scheda quadam, quam Jo-
annes Stolsius Wittebergensis Amicus meus, M. Wolff-
gango Stein dono dederat, Anno 1547.

SEQVITUR BREVE *εὐλόγιον* D.
MARTINI LUTHERI, per JOANNEM POLLICARIUM,
Cygnaum.

HOc Doctore fides nobis cultusque revixit,
Et pietatis honor: Sed dogmata prava ruinam
Cœpère, & subito cecidere ad Tartara lapsu.
Multum igitur tibi nos omnes debere fatemur,
Cuius ope est ingens tam mundo gloria nostro.

ALIUD.

Dircæum referens Cygnum, Linon, Orphea, Phœbum,
Qvem non voce tua magne Luthere rapis?
Allicis, invitas, flectis mortalia corda,
Nil mortale melos quod modularis habet.
Deterres homines duros à Marte cruento,
Duritiem morum, barbariamque domas.

Divinis

Divinis ornas studiis formasq; Juventam,
 Hortaris tremulos ad meliora Senes.
 Præstigias aboles veterum cultumqve Deorum,
 Et sternis veræ religionis iter.
 Et retegens hominum fraudesqve dolosqve malorum,
 Ad præcepta Dei nos veneranda vocas.
 Virtutem & pacem instillas, cœlestia dona,
 Unde salus, quæ sit vita beata doces.
 Tam ferus est nemo, quem non tua dictio frangat,
 Nam fluit à labris Svada medulla tuis.
 Scripta tua ostendunt, quæ sint tua dona Luthere,
 Nempe trahis quercus, flumina, saxa, feras.
 Tanta pater summus qui per te monstra subegit,
 Is Animæ nunquam nolit adesse tuæ.

**EPITAPHIUS LUTHERI, PER
 EUNDEM JO. POLLICARIUM.**

Hic tibi terminus est vitæ, terræq; malorum,
 Quæ tua perpeffa est pro pietate fides.
 Membra quidem fragili defuncta teguntur ab urna,
 Sed permixta sedet mens tua cœlicolis.
 Tali compensat nostros mercede labores,
 Qui jubet imperio cuncta subesse suo.

F 3

DIVI

DIVI
MARTINI LV THERI,
DE
FONTE MONTIS
TEICHELII,
AD VVITTEBERGAM,
CVIVS AQVAE IN OPPIDVM DVCAE SVNT
A. C. CIO IO XLIIII.

EPIGRAMMA,
ALIQVOT POST EIVS OBITVM ANNIS PRIMVM
EX IPSIVS MST. EDITVM,
NVNC AVTEM, OB RARITATEM, DENVO PRODVCTVM,
CVRA

G. L. N. H.



DE
FONTE OREADVM
VVITTEBERGENSIVM.

Quoniam mare, qui fontes, qui flumina cuncta creavit,
Me quoque, iussit, aquae particulam esse suae.
Corpore sum parvo, scatebris exilibus ortus,
Magni, me, sed, opus, gloriator, esse DEI.
Negligor incultus, dispersis undique venis,
Et squalere sinor, per loca foeda, luto.
Rustica, more suo, me spernunt, turba, coloni,
Fons, quibus, haud dignus, qui colar, esse putor.
Forsan, si propior melioribus urbibus essem,
Fontibus urbanis cultior ipse forem.
Non movet agrestis, tamen, haec iniuria vulgi,
Dimoveor nullis a bonitate malis.
Servo meas undas puras, nitidasque ministro,
Gratis, ingratis, omnibus aequus agor.
Servio namque DEO largo, pincerna benignus,
Gratuito munus largior inde meum.
Non moror, argenti nihil, aut habeas nihil auri,
Hausturus gratis, dives inopsque, veni.
Sic DEVS ingrato dedit, et facit, omnia mundo,
Cuius ad exemplum, me iuvat, esse bonum.

F I N I S.

Q 2 2/9 4187

m.c.



ULB Halle
004 969 74X

3



f





suam, & hoc
 per Lutheru
 nominis sui,
 mationem sc
 vera sunt, &
 dolendum es
 bari, quanda
 minesq; tan
 eripi, num e.
 Ego ig
 aliquid Car
 logi. Adieci
 Philippo nos
 gravi consi
 nunc tibi an
 ero C. T. ut
 rem, comm
 therus habu
 paulo ante
 est valde di
 confusis ac
 audacium h
 hoc, quod se
 nerat am fu
 tam facere.
 mentionem
 scriptum m
 cium hic ag
 posse. Bene
 in ho

d nos verbosuo,
 rdet, ad gloria
 n, usq; ad consu
 anos. Hæc cum
 Interim tamen
 Doctõribus or
 occumbere, bo
 etudine nostra
 gi ostenderem,
 imi nostri Theo
 rscriptam à D.
 on sine certo ac
 unt ingrata. Ea
 dedico, & obse
 C. T. compelle
 , quæ tu & Lu
 quemadmodum
 functio profecto
 ma, his nostris
 improborum &
 ommodit me &
 amatam & ve
 rem C. T. gra
 quog; à morte
 ps, C. T. ut hoc
 beri, cuius nego
 bi denegare non
 ax. C. T. nobis
 tum W ei-
 neus,
 bi Dei Minister.

